

à fructuositate arborum, tanquam à sine proprio earundem peterè stabilitum est. Varia proculdubio fructificandi vis specificæ cognoscibilitatis legitima in arboribus parens habebitur, quippe quæ leges inter primordiales locum mundi ab exordio obtinuit prima vitæ hominum benignissima sustentatrix. Tres igitur cum sint fructuositatis essentielles, simplicesque differentiæ, quæ cibum, potum, & pingue vescum suppeditant, quas aliæ deinde mixtæ sequuntur, ex quibus humano generi variæ, ac diversæ commoditates resultant tribus claudere cuncta cogitavi voluminibus, in primo quorum tripartito, in sylvam scilicet Glandariam, in Pomarium, & in Olivetum de Alphiteis, hoc est farinosi fructus arboribus, in secunda partitione mox de Potomiis, & successivè in tertia de Elæophoris agetur, quæ in suas singulæ in proprio genere speciales species distinguuntur, atque in eruditionum variarum rubricas subdividentur, eo modo quem sapientissimus noster Aldrovandus in operibus à seipso compositis, & evulgatis observavit; in secundo autem volumine arborum lachrymantium, spinosarum, & miscellarum; in tertio, atque postremo de Suffruticibus, atque herbis simpliciter, & propriè dictis, exarabuntur historiæ, in quibus melioribus fortè adspirantibus favoniis amœnissima ad prata spatiabimur, hortosque ingrediemur olitorios, & voluptuosos; & demum in agros latiores migrabimus. Alphabeticum explicandarum, tum arborum, tum herbarum ordinem magna non absque ratione omissum facere placuit, cum in eo transitus de genere in genus plerumque fiat, plurimasque detur offendere dubiosissimas æquivocationes, quæ difficultates ingerunt quam maximas, in nostro præsertim tractandi eruditiones à natura rei, & non à solo nomine peritas modo, ubi partes cohærere debent ad invicem, & realiter substantialiter, minimeque superficialiter tenus complicari. Individualem mihi congenitum scribendi stylum materiæ repræsentandis eo meliori quò valui modo accommodavi, nunc planius, nunc elatiusculè procedendo; & utinam præceptorum olim meorum, quorum summè veneror memoriam Jo. Corn. Uterverii, & Bartholomæi Ambrosini præclarissimis adamussim insistere valuissem vestigiis. Cæterum mi lector boni amator, & æqui, quem minimè latet quid distent ara lupinis, quique probè nosti quam difficultatem involvant, τακτικῶν τῆς βενεφικῆς commendatur humanitati liberalis mearum imperfectionum venia; sic enim illud Severini dictum praxi demandabimus.

*Ut plantarū
semina: sic
hominum
vita. Plut.
in Apophr.*

*Plin. l. 1.
l. 4.*

*Boet. l. 2.
metro.*

*Qui serere ingenium volet agrum
Liberat prius arva fruticibus,
Falce rubos, filicemque refecat.*

E X O R D I U M,

Seu Dendranatome.

Primis hisce nostris arborearum enarrationum in januis sese offerunt urbanitas arborum, hoc est tractabilitas, necnon sylvestris, & effera earundem naturalis conditio consideranda, juxta Botanicorum Coryphæi sic scribentis doctrinam: *Naturalis quadam differentia protinus in Sylvestrium, urbanorumque genere nobis sese offert &c. Urbanum autem, & Sylvestre vocitare*

*Theophr. l. 1.
Hist. pl. c. 6.*

debemus redigendo, tum ad prædicta illa, tum vel maximè ad id quod omnium urbanissimum esse constat. Homo autem, aut solus, aut maximè omnium urbanus est; illæ namque arbores nostræ cognitioni sese facilius insinuant, atque nostris commodis, & utilitatibus se magis dedunt, quæ sub terra minus otiantur, & humanitatis quandam speciem præferunt, uti medicorum partes Hippocrates testatum reliquit, quemadmodum igitur (hæc sunt illius verba) arbores rationem non habentes hoc tempore (nimirum hyeme) præparant sibi ad æstatis commoditatem, tum incrementum, tum umbram, sic oportet hominem: quum sanè mente, ac ratione præditus sit, carnis incrementum salubre sibi præparare. Neminem ad eò stupidum inveniri ob hoc crediderim, qui naturalibus facultatibus, atque instrumentariis actionibus arbores audeat spoliare, in quibus distincti, & certi quidam fines observantur, qui plus, minusvè delectabiles deprehenduntur. Plantæ igitur omnes, maximèque arbores similaribus non solum, sed compositis constant evidentissimè partibus, quas ratio demonstrativè suadet, convincitque; αὐτοψία; dicamus igitur cum Plinio, & aliis doctissimis viris dari, & reperiri debere in arboribus calorem inprimis innatum, vivificum, elemento stellarum respondentem, à quo provenit actio quævis vegetativa, & insuper humores alimentales, necnon excrementitios, tanquam primum passivitatibus subjectum, instrumenta dein venarum nutritivis succis deferendis naturaliter destinata, intra quarum cavitates iidem succi concoquantur; Nervos insuper, non motorios, neque sensorios, verum durabilitatem obfirmantes; Ossa præterea, carnemque pro arborea mole contextenda, sustinendaque fabricata; Cordis quoque viscus proportionale, seu matricem, tanquam principalem animæ sedem, & illius divisibilitatis, necnon semineæ generationis fontem, quas omnes centrales partes ambiunt illæ, quæ circumferentiæ rationem subeunt, ut cutis exterior cum sua cuticula, membrana cui subest carnosa, in aliquibus arboribus multiplex, sive in sui crassitie divisibilis in plurimas bracteas, vel laminas ad modum paginarum in libris. In quarum arborum totali conformatione, artus quoque, tum majores, tum minores dantur, ubi aliæ partes, quas sensoria symbolica, & cæca quodammodo vocare poterimus, recognosci possunt, unde aliquam in arboribus partem caput, & cerebrum appellamus, aliam pedes, & sic brachia, coxendices, digitos, ungues, capillos, aures, & oculos sæpè sæpius adnotamus; quæ omnia faciunt totius ad arboris perfectionem, vegetativumque nobilissimum complementum. Et quia patent cuncta hæc facillimè semiputrida præcipuè ligna secanti, sub qua dispositione partes ab invicem dissidere, & segregari cum accidentium omnium variatione incipiunt, unicam hanc delineationem pro aliarum exemplo explorandarum satis duximus proponendam, in qua os durissimum, caro, nervi, venæque, & muscoli perbelle apparent: sic plantæ omnes, & arbores, dermatata, & epidermatata, cutaneas scilicet, atque cuticulares partes, veluti fascias totius conservatrices habent vitæ, ubi naturales omnes facultates vigent, & propriis mediantibus organis exercentur, variisque illæ prærogativis tum specificis, tum individualibus insigniuntur; cum autem circumferentiales partes visibiles cunctis

*Hippocrates
l. 1. de dia-
ta.*

*Arist. Phys.
l. 2.*

*Ant. Mix.
in Dendra-
nat. Plin. l.
16. cap. 18.
Arist. l. 1.
de Pl. c. 2.*